

D. 3.
SPECIMEN ACADEMICUM,
CONTINENS
OBSERVATIONES QUASDAM
CIRCA
METHODUM,
IN
JUVENTUTE INSTITUENDA
A
VETERIBUS RECEPTAM,

QUOD
CONSENS. AMPL. FACULT. PHILOSOPH. IN REG. AD
AURAM ATHENÆO,
SUB PRÆSIDIO

MAG. JOHANNIS BILMARK,
HISTOR. ET PHIL. PRACT. PROFESS. REG. ORD.

Publice ventilandam sifit

ISAACUS FORSELIUS,
Stip. Reg. Satacund.

In AUDITORIO MAJORI Die XXI Junii
An. MDCCLXXX.

H. P. M. C.

ABOÆ,
Impressum apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL.

*VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,
D:no GUSTAVO ALLENIO,
Ecclesiarum Cangasalaensium Antistiti meritissimo, Con-
tractusque adjacentis Preposito gravissimo,*

*VIRO Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,
D:no LAURENTIO FORSELIO,
Pastori Ecclesiarum Ruovesiensium vigilantissimo,*

PATRUIS PROPENSISSIMIS.

Quanta sunt beneficia, quibus me nullo non tempore cu-
mulastris, quanta candidissima cordis mei affectio, ex-
ponere nec possum nec audeo. In tesseram animi gratissimi,
quo eadem jugitur servabo, specimen hocco exercitii caussa
editum Vobis, FAUTORES BENIGNISSIMI, offero, enixe orans,
ut benigne illud excipiatis. Summum Rerum Moderatorem,
ut diutissime vos salvos atque incolumes vivere jubeat, im-
plorare ac obtestari non desinam, ad cineres usque per-
mansurus

NOMINUM VESTRORUM

Cultor humillimus
ISAACUS FORSELIUS.

Dygdoms Fru
ANNA MARIA FORSELIA,
Gödd Tackou.

Min Huldesta Mor.

Gdag öpnas mig tillsäle at wisa den barnsliga årlänsla, jag hårtills
ändast innestut i mit sinnes grönmor; men hopen öfver min osöre
nögenhet at kunna offslödra de i mit hjärta djupt inscreue skuldighets
länster, och gifwa något wärkeligt nedermåle deras; finner jag mig förs-
valtien at eufaldigt tolka min K. Moders förtjänst och min förbindelse.
Eri mer än Moderliga hjärteleg. Er omsorg at böja mit sinne til dnyd,
ja. Eder osparda mbeda och kostnad I användt på mig. öfwen af Eder
endaste, så väl förr, som sedan försynen genom min Faders dödliga fräns
säle lemnat mig tillika med samteliga mina Syskon i et månlobt tillstånd,
just vid den ålder då vi som båst tarfvrat en dyrmt Far, ser och kän-
ner jeg nog, men ord brista at ådaga lägga dese länster. Det hör dock
ej oroa mig, då jag hör den lyckan, at Eder huldet kan försälta mig,
det I upptagen wiljan för gjärningen. Det enda jag kan, och det jag al-
drig skal underläta, är, at til Högden uppsända trågna succar för Eder
oupplörliga wälgång: Den Högste årsäte Eder godhet med en rundelig
wöllsignelse! Han mildre Edra öden! förlänge Eder lifstid! gjdre Edra
dagai Eder ålderdom nögde! och när de åndieligen efter Allmägens bes-
slut nådt sin fullbordan, bågne Eder med en ewigvarande Sällhet! det
önskar af et upröttigt barnsligt hjärta, den som til stofset med all sonlig
wördnad framhärvbar at vara

Min Huldesta Mors

Hdmjuks-lydigste Son
ISAAC FORSELIUS.



§. I.

Quum multi, iidemque ingenio atque judicio praestantes, viri varia educationis liberorum systemata, principiis Psychologicis, moralibus & politicis convenientia, recentiori præsertim ævo in publicam emiserint lucem; haud pauci forte mirabuntur, quo antiquitatis instinctu perciti juventutis institutionem, a veteribus receptam atque usitatam, polito huic seculo explicare velimus. Sed mirari desinet quisquis rem tanti momenti iusta mentis acie perpendere: licet enim in veterum scriptis ea rationum syrmata, quæ in recentiorum libris passim emicant, non animadvertisamus; occurunt tamen in illis præcepta quædam atque instituta, multiplici experientiæ congrua; quæ cum in praxi utramque faciant paginam, a nobis non prorsus sunt negligenda, quamvis a multis pro obsoletis habeantur. Sicut enim pater familias rem suam domesticam emendatam vel promotam cupiens, minus consulit auctores gravissimos, qui prolixa considerunt systemata Oeconomica, quam potius homines rure natos & educatos, qui experientiam sequuntur magistrum; ita etiam in aliis rebus practicis, quorsum imprimis proba juventutis educatio pertinet, canos non spernamus magistros, quamvis in ipsorum disciplina quædam subinde occurrant, quæ nimis rigida videntur, adeoque ab indulgentia nostri avi longe remota. Esto enim, quod veteres in rationibus adferendis atque in illo educationis apparatu, qui nunc requiritur, recentiori-

) 5 (

tioribus fuerint inferiores, sua tamen constantia ad easdem pervenerunt metam, & si discipulos suos, minoris omnigenarum eruditionis suppellectili instructos, e scholis suis dimiserint, id quod litterarum conditioni, qualis antiquissimis fuit temporibus, tribuendum erit, alumnos tamen e pulvere scholastico in scenam mundi produxerunt probos, patriæ amantes, civibus infervientes, nec non in rebus gerendis prudentes, solertes atque diligentes. Unde satis videt cordatus Lector, disquisitionem de methodo, in juventute instituenda a veteribus recepta, ne nostro quidem ayo sine omni fructu futuram.

§. II.

Uti exploratio cum ingenii tum inclinationis conata puerorum utilissima, imo necessaria plane iis est, qui ad bonam frugem eosdem perducere volunt; ita præcipua omnino veterum, qui institutionis molestias in se suscepserunt, cura fuit, ut illos primum explorarent juvenes, qui se in ipsorum tradere vellent disciplinam, attente considerando illas corporis notas, quæ animorum solent esse indices. De PYTHAGORA legimus, quod adolescentes, qui litteris initiari cuperent, non solum lineamentis corporis, sed & toto faciei & corporis habitu consideraret, recepturus eos, qui ipsi probarentur, cæteros autem repudiaturus. Nec frustra plane præliminare hoc officium in se recepit. Quamvis enim nemo omnino negare possit, miros admodum esse mentis humanæ recessus, adeo ut quo magis in eos penetrare annitamus, eo magis ipsa veluti refugiat atque intentæ aciei nostræ lœse subducat; tantum tamen abest, ut latentes animi propensiones nulla sagacitate humana indagari possint, ut porius signa adfint probabilia, quæ non temere sollertia nostram destituunt, si debitam adhibeamus sollicitudinem. Qui

enim ista desicit, quem intendisse existimat finem sapientissimum Creatorem, qui hominum imprimis facies tam sapienter formavit, ut quamvis omnibus easdem concederit partes, eodem situ ac ordine dispositas, tanta tamen arte eas distinxerit, ut tot hominum myriades solo etiam vultu internosci possint, atque instar prodigii habeatur, si bini homines ejusdem per omnia fornacia reperiantur? Cum contra diversa plane reliquorum animalium sit ratio; in una vulpe omnes videmus, in uno leone omnium formas conspicere licet; at solum genus humanum tot præ se fert formas, quot sunt homines. An vero frustra hominum facies tam provide destinxerit? Nonne præter alia etiam hoc Eum intendisse credamus, ut tam diversa lineamenta vultuum essent certa occultarum inclinationum indicia? Ita veteribus, prudentissimis sapientia magistris, visum fuit. Nec tamen in externis signis substiterunt iidem, quin potius, ne in tantis momenti circumvenirentur, juvenes etiam ipso actu probe explorarunt, per tempus aliquantulum eos in scholas suas recipientes, & variis modis eos exercentes, ut indolem eorum indagarent penitus. Et tunc quidem quos ingenio tardos, moribusque intractabiles experti sunt, statim, ne plus temporis frustra tereretur, dimiserunt, id quod de Zenone Philosopho testatur Laertius. Hæc explorandi ratio, ut priori firmior ac solidior Ciceronis etiam placet; quamobrem characteres felicis futuri oratoris, ex experimentis deductos exponit, juxta quos non solum Eloquentia Magistri discipulos, animum ad hoc studium applicaturos, sed & hi ipsi sese explorare possent. Ex quibus omnibus colligere licet, quod singularis olim juvenibus non contigerit, eruditionis adire Corinthum.

Deinde veteribus admodum solemne fuit, pueros
 ejusdem demum cunque essent conditionis, modo scientiis
 addiscendis habiles putarentur, in publicas mittere scho-
 las, ut ibidem prima industria tirocinia ponerent. Non
 civium modo filii ad publicas hasce eruditionis ac vir-
 tutum officinas mittebantur, sed principes etiam a di-
 gnitate supraea, cui per nativitatis jura destinabantur,
 alienum non putarunt, in ludis hisce litterariis quosdam
 ætatis annos ante transigere, quam in orbis lucem pro-
 dirent. Sic de Persarum Rege CYRO, qui Monarchiam
 a Medis ad Persas transtulit, memoria prodit XENOPHON,
 quod a Patre CAMBYSE, Rege Persarum, in disciplinam
 eorundem scholasticam traditus fuerit, & quod hinc e-
 vocatus ab avo materno ASTYAGE, Medorum Rege, ut
 hujus populi mores spectaret; post brevem autem in avi
 sui aula commemoratione ex mandato patris domum re-
 versus filium laborum scholasticorum redintegraverit. Ex
 hoc æque ac aliis exemplis, quorum plena est antiqua
 historia, discimus, quod publicam institutionem, cui præ-
 erant viri eruditionis gloria clari, privatæ haud inconsulto anteposuerint veteres. Non equidem ignoramus,
 quod publicæ filiorum institutioni varia objiciant incom-
 moda hujus olores; inter alia contendentes, quod in
 magna juvenum frequentia inolescat etiam varia virtus;
 hoc vero sicut præfracte non negamus, ita vicissim qua-
 re licet: ubinam locorum inveniantur illæ innocentiae
 propugnacula, intra quæ tutæ hospitatur adolescentia a
 quibusvis vitiorum illecebris? Frustra omnino memo-
 rantur privati lares; siquidem multiplex ac fida experi-
 entia doceat, quod in opulentiorum ac procerum, & hi
 quidem sunt imprimis qui disciplinam borrent Schola-
 rum publicarum, conviviis, liberis nimis conversationi-
 bus,

bus, in domesticorum ministeriis multa, quæ reprehensione digna sunt, contingent; quæ exempla morbo quo-vis epidemico sunt perniciosa. *Fit ex his consuetudo,* inquit *Quintilianus, deinde natura.* *Discunt hæc miseri, antequam sciant vicia esse;* inde soluti ac fluentes non accipiunt & scolis mala ista, sed in scolas adferunt (a). Quum itaque nemo sine vitiis nascatur, nec ullus sine crimine vivat, ille cæteris est felicior habendus, qui minimis urgetur; quo quidem intuitu commendationem merentur scholæ publicæ, ubi quilibet alumnus, qui a virtutis trahente declinat, vel debitam diligentiam intermitit, notatur & ita exsibilatur, ut cæteri sòdales ealem sua indignum judicent amicitia, quod gravissimam pœnam, nisi præfractæ omnino fuerit frontis, censembit. Præterea Princes ac Procerum filii vident, se in scolis publicis cingi corona juvenum, ratione ætatis, virium atque industrie ferme æqualium, vident, palmam in medio positam, ea andemque non nisi labore, virtute atque eruditione obtinendam. Quare dum sequenti tempore vel solis vel iisdem proximis honoribus admoventur, miminerint necesse est, se se hominibus liberis, non natura servis, imperare, nec viri facti ipsos dedignabuntur, quos propter industriam ac virtutem coluerunt pueri, & qui partim exemplis, partim monitis ipsos excitarunt, ut propositum stadium alacriter decurrerent.

(a) Vid. Institut. Orator. Lib. I. C. 2. p. 11.

§. IV.

Præterea quum homines, sibi solis relictæ, præsertim quamdiu sanguis in juvenilibus adhuc ebullit venis, imaginationis suæ ludibriis nimium indulgeant, atque media attente speculentur, quibus vel petulantæ acrimoniam

am effundant vel libidinis æstum extinguant; hinc veteres filiis suis plerumque adjunxerunt probum aliquem hominem, qui ipsos, in vita forte ruituros, oportune redineret; satis gnari, magnam peccatorum partem tolli, si in vita proclivibus adsiduus adsit testis, sub quo ita vivarent, quasi nil loquerentur nisi ipso audiente, & nil agerent, nisi ipso spectante ac probante. Huc pertinent ea, quæ de priscis Romanis refert auctor libri de causis corruptæ eloquentiæ: scilicet suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella emtæ nutritio, sed in gremio ac sinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat, tueri domum & inservire liberis. Eligebatur autem aliqua major nota propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis cuiuspiam familiæ suboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, nec facere, quod inbonestem factu videretur: ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecudia temperabat (a). Alii rursus parentes, quibus vel nulla suppeditabat occasio, filios in publicas mittendi scholas, vel qui parum torte consultum hoc duxerunt, his eligebant Philosophum quandam eruditione non minus quam virtute conspicuum, quem in suam familiam, non pro temporaria quadam opera sed perpetim adoptabant, cuius institutione in scientiis nec non inspectione in vita atque exercitiis liberalibus filius juvenis quotidie utebatur, & per totum vitæ tempus haud secus ac alterum parentem & Consiliarium prudentissimum sibique addictissimum habebat. His officiorum partibus apud Telemachum Mentor, apud Pyrrhum, Achillis filium, Phoenix, apud Epaminondam Thebanum Lysis Tarentinus, Philosophus Pythagoræus, olim functi fuisse perhibentur. Alii viscissim Parentes filios, quorum erecta indoles haud nelioceria inde a cunis promittere videbatur, viris præstantissimis ac rerum domi forisque gestarum gloria clausi

mis adoptandos ambitione tradiderunt, horum præceptis, sed magis adhuc exemplis, in ardua scientiarum ac virtutum semita, quæ ad amplissimos dicit honores, quotidie protecturos.

(a) Cap. XXVIII.

§. V.

In commendationem institutionis, a veteribus receptæ, hoc etiam referri debet, quod scholarum alumni, non pro arbitrio aut ex levibus parentum consiliis ex his, quibus edscripti fuerunt, officinis evolare potuerint, sed publica auctoritate, qua nullam admisit dispensationem, graviter saneatum fuerit, ut filii in singulis, in quas scholæ dispertitæ erant, classibus per aliquot commorarentur annos, immo in qualibet tamdiu subsisterent, donec in aliam superiorem transferri meruissent. Ita de CYRO, supra memorato, refert XENOPHON, quod e schola Persica aliquamdiu dimisus ad Aulam Regis Medorum accesserit, & quod ibidem satis utiliter tempus in variis exercitiis, in patria sua tunc partim ignotis partim minus adhuc usitatis, collocaverit. At quamvis & ASTYAGES & totus Aulicorum Ordo Principem tam excelsæ indolis & rarae admodum spei diutius retinere cuperent, Pater tamen CAMBYSES post annum spatium revocavit filium, ut, qui supererat, studiorum cursum absolveret. Et quum iam prætextatus esset tantumque suo ingenio & sua industria in scientiis ac virtutibus profecisset, quantum natalium ac generis splendore caeteros superabat, in classem adolescentium promotus fuit, in qua per decem annos sese deinceps exercuit. Nec talem moram censuerunt veteres esse supervacaneam. Quamvis enim dotes suas inæqualiter inter homines, quos æquales fecit, distribuerent.



stribuat natura, adeo ut nonnulli juvenes celerrime & absque ullo molestiæ sensu capiant ea, quæ ipsis propoununtur, nec tam studere, quam potius reminisci videantur, dum alii contra omnes attentionis nervos, ut levia etiam percipient argumenta, intendere necessum habent; attamen præcoccia ingenia diuturnitatem raro ferunt, in quosvis abusus facile proclivia, præsertim si ista sibi ipsis relinquuntur ætate, qua affectus, adhuc astuentes, sedatae rationis imperio parere designantur. Natura enim nunquam saltum facit. Sicut igitur inter florem & fructum requiritur temporis spatum, ut hic maturescat; ita si quis DEO, patriæ, sibi & aliis aliquando inservire velit, consistentia quædam tam animo quam corpori erit inducenda, atque studia litterarum sunt maturanda potius, quam festinanda; quod rectius vix fiet, quam si ad veterum morem juvenes e scholis publicis implumes non evolent.

§. VI.

Nec reticere nos possumus, qui cum TACITO (^a) virtutem præcipuum hominis bonum esse existimamus, quin inter præclara veterum instituta scholastica referamus, quod juvenes in ludis eorum litteratiis ita erudierentur & exercentur in virtutibus, ut apud nos in scientiis, atque ita non scholæ sed vitæ didicerint. Qua quidem in re imprimis celebres fuerunt veteres Persæ, non illi luxus ac voluptatum nepotes, quos ALEXANDER MAGNUS debellavit, sed majores eorum. Summa autem doctrinæ Persicæ huc redibat, ut ab infantia discerent pueri, DEUM colere, exercere justitiam erga omnes, liberalitatem erga egenos, generositatem erga devictos & inimicos, animum gratum erga benefactores, imprimis erga parentes & præceptores, in utraque fortuna essent constantes,

vitia autem, ut angve ac peste pejora, sollicite effugient. An autem hæc morum disciplina diurna fuerit, jure dubitamus; quamvis enim CYRUS optimam habuerit educationem, parem tamen liberis suis non impertivit, quibus nimium indulxit, atque ita tam ipsis quam suo imperio exitium improvidus paravit. Veterem illam instituendi rationem in Græcia fecutus videtur SOCRATES, de quo igitur magnifice prædicat CICERO (*b*), *quod sapientiam de cælo devocaverit, & eandem in urbibus, in villis & rure collocauerit.* At qui ipsum excipiebant Philosophi de virtutum notionibus tradendis magis, quam de juvenibus in illis exercendis solliciti fuerunt, & ingenii gloriolam in mustaceo quærentes, virtutes & virtia eisdem ferme coloribus pingebant, & sic paradoxis sententiis illos confundebant, quos ad meliorem perducere debebant frugem. Unde factum, ut antiquiores Græci, vitiorum ignari, virtutibus præstarent posteris suis, virtutum notione eruditissimis. Eadem forte ratio fuit Romanorum; cecinit enim HORATIUS:

*Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosorem (*c*).*

(*a*) Lib. IV. Hist. Cap. XVII. (*b*) Lib. V. Tuscul. Cap. IV. (*c*) Lib. III. Carm. Od. VI.

§. VII.

Objici imprimis solet veteribus, quod in liberorum educatione adeo fuerint rigidi, ut æQUITATIS plerumque, subinde ejam humanitatis, limites transgressi sint; & sane gravitatis tam parentum, quam præceptorum plura apud veteres occurrunt argumenta, quam intempestivæ indul-

indulgentiæ; quod tamen genio seculorum, quibus illi vixerunt, potissimum erit tribuendum. Sicut enim ipsi parentes & institutores rigidiori disciplina inde a teneris adfæfacti erant, majoremque ætatis partem in militia, quæ exactissimam legum observantiam postulat, transegerant; ita etiam liberos suos ita educari voluerunt, ut schola esset veluti quædam militiæ futuræ imago; probe gnari, quod filius, qui parentibus & præceptoribus tergiversari audet puer, Imperatoris iussa adultior factus vel eludat, vel ea, qua par est, diligentia ac industria non exequatur. Hinc PLUTARCHUS: *Adolescentes Lacedæmonii edocebantur imperium pati, non magistratum solum, sed etiam parentum, magistratum & quorumvis ætate majorum.* Existimaverat quippe Lycurgus, satius esse Republicæ habere cives ad parentum bene institutos & promtos, quam magistratus ad imperandum idoneos (a). Hinc magistri in alumnos, suæ fidei ac institutioni commissos & ad eruditio- nem ac mores formandos, simul præceptis ac ferulis usi sunt, abuentiam culposam, negligentiam & quamcunque aliam officiorum intermissionem eodem ferme rigore ac graviora punientes flagitia; quale animadversionis genus parentes non solum tulerunt sed & probarunt; quorum multi nullos potius filios, quam ad exactissimam disciplinam non formatos, desiderarunt. Quorum rigorem sicut nemo probabit, ita nec ullus cordatus feret illam, quæ plerumque hodie regnat, mollitem & indulgentiam, dum sæpe in juvenibus non queritur an probi sint & bene morati, ut potius quam in omni vitæ genere sint elegantes.

(a) PLUTARCH, in Lycurg, Tom. I. p. m. 50.

Quod ad scientias attinet, in quibus pueri antiquissimi temporibus erudiebantur, notandum est, quod studiis sic dictis humanioribus, quorum Jus naturæ & civile, Ethica, Politica & quæ hisce facem præfert, Historia, nec non Eloquentia referebantur, operam præcipue impenderint; studia autem mere speculativa nec plane neglexerint nec tamen ut sibi in vita communi admundum profutura tractaverint; per hæc solummodo exploraturi, quantum ingenii sui acies valere. Scilicet quum pleræque veteres respubliæ quoad modum imperium administrandi fuerint vel Aristocraticæ vel Democraticæ, & quilibet civis in iisdem per meritorum gradus ad amplissimos ascendere potuerit honores; igitur cæteris præferebatur, qui tam egregiis factis quam mascula Eloquentia eminenter. Poëtas etiam, horumque imprimitis coryphænum HOMERUM sedulo legebant & carmina eorum, quæ non minus præcepta moralia, quam canora dictio commendabant, memoræ alte imprimabant. Dum contra hæc mollitiae nostri ævi minus convenientia studia, quippe quæ dum hinc facultatum nostrarum defectus, illinc officia DEO, nobis ipsis & aliis jugiter præstanta, nec non præmia virtutum & poenas vitiorum exponunt, continuas illas delectationes, quibus se solummodo destinatos esse existimant albæ gallinæ filii, iterum iterumque interrumpunt, eademque vel negligunt, vel temporis tantum fallendi causâ legunt. Huc pertinent ea, quæ ad fert Cel. FONTENELLE: *La Philosophie est en elle-même une chose admirable, & qui peut être fort utile aux hommes; mais parce qu' elle les incommoderoit, si elle se mêloit de leurs affaires, & si elle demeuroit auprès d'eux à regler leur passions, ils l' ont envoyée dans le ciel arranger les planètes & en mesurer les mouvements* (a).

(a) Vid. Les Dialogues des morts IV. p. 13.

In disciplinis denique proponendis methodo imprimitis Erotematica, ut ingenii discentium convenientissima, utebantur veteres. Recinduntur quippe per eam omnia, quæ ad ipsam rem nil faciunt, & certior redditur is, cui institutionis cura commissa est, quantum quisque ex illis, quæ dicta fuerunt, perceperit, adeoque ea, quæ desiderari adhuc videntur, supplere potest; ita ut nihil impedit, quin discipuli ad liquidam rei veritatem perveniant. Hac methodo inter celebres Græciæ Philosophos imprimis usus fuit SOCRATES, quæ proinde etiam dicta fuit *Socratica*. Ille enim quotidie in foro versans conversationi civium in disciplinis proficere aeventum, intererat, eosque & interrogando & laudando sensim veritatis lumine victos ad suam sententiam & in veritatis semiram perducebat. Adhibebant præterea veteres hanc præcipue insituendi rationem, quia in magna discipulorum frequentia maxima repertatur ingeniorum varietas, quibus tamen singulis per quæstiones & responsones consulitur. Insuper cum ea sit juventutis conditio, ut omnia uno intuitu & sententia semel audita non ita percipiat, ut nulla amplius institutione indigeat, sed saepe contingat, ut quod verum tamen est, discendo quasi dediscat, veteres Philosophi repetitionem maxime necessariam esse censuerunt; quamobrem etiam non minus scientiarum compendiis, quam repetitioni diligenter studuerunt. Quæ his adhuc addi possent observationes, quum in praxi minus sint utiles, consulto prætermis, opellæque jam imponimus finem.

S. D. G.



